

illius, quod est verè diligibile, est bona: ergo dilectio illius, quod est magis diligibile, est melior; atqui amicus est magis diligibilis, quam inimicus: ergo.

Obj. 1. S. Th. hic a. 7. dicit, quod dilectio inimici præminet secundum rationem diligendi; atqui excessus secundum rationem diligendi absolute est melior, quia obiectum dilectionis non specificat, nisi ut subest rationi diligendi: ergo. R. D. Maj. Dilectio inimici juxta D. Th. præminet secundum rationem diligendi, spectatam essentialiter, N. spectatam secundum accidentia, C. Ad cujus sensum distincta Min. N. Conseq. Non intendit ergo S. Th. quod ratio diligendi, quæ est bonitas divina, sit major, seu magis participata in inimico, quam in amico; quin potius contrarium docet in capite artic. dum dicit amicum esse meliorem: sed vult tantum, quod ratio diligendi in inimico sit purior, & ostendatur fortior, quia difficilius. Hæc autem sunt accidentia respectu rationis diligendi.

Inst. 1. Secundum D. Th. ibid. dilectio inimici est reipso fortior: ergo absolute melior. Prob. Ant. S. Th. comparat dilectionem igni, qui tanto est fortior, quanto comburit remotiora, seu materiam minus combustibilem: ergo dilectio tanto est fortior, quanto diligit obiectum minus diligibile, scilicet inimicum. R. N. Ant. ad Probat. D. Ant. S. Th. comparat dilectionem igni, quantum ad aliquid, C. quantum ad omnia, N. In hoc ergo tantum stat comparatio D. Th. quod, sicut dum ignis extenditur ad remotiora, & comburit materiam minus combustibilem, ostenditur esse fortior; ita dilectio, dum se extendit ad inimicum, ostenditur esse fortior. At non quod re ipsa sit fortior præcisè, ut attingit inimicum, cum & eadem possit attingere amicum. Insuper minima charitas se extendit ad omnia diligibilia, & diligit Deum super omnia, sique potest superare omnes difficultates, quod dici non potest de minimo igne respectu omnis materie combustibilis. Unde charitate eadem & æquè intensa possum diligere amicum & inimicum: & in hoc sensu procedit Conclusio.

Inst. 2. Sæptem, secundum D. Th. dilectio inimici est purior, quia non diligitur inimicus, nisi propter Deum, cum amicus diligitur etiam propter aliud: ergo est melior. R. D. Conseq. ergo est melior secundum quid & accidentaliter, Transeat: simpliciter & absolute, N. Bonitas enim, quæ petitur ab objecto, est simpliciter & absolute melior. Dixi, Transeat: quia admixtio motivorum naturalium in dilectione amici non semper causat remissionem, seu diminutionem illius; natura enim non est gratie contraria, sed a gratia perficitur. Unde, quando illa motiva per charitatem ordinantur ad ejus finem, nullum ex illis patitur detrimentum, sed e contra proficit.

Obj. 2. Dilectio amicorum non meretur mercedem, juxta illud Christi Matth. 5. Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Dilectio autem inimicorum meretur mercedem: ergo. R. (Ibid. ad 1.) Sensum verborum Christi esse, quod dilectio amicorum apud Deum mercedem non habeat, quando propter hoc solum amantur, quia sunt amici, & non propter Deum; quod videtur accidere, quando sic amantur amici, quod inimici non diligantur.

Obj. 3. ex Patribus Chrysost. hom. de cruce & latrone sub finem dicit: Melius est pro inimicis, quam pro amicis orare; nec enim tantum nobis præstat pro amicis oratio, quantum pro inimicis deprecatio. Aug. Enchir. c. 37. Minus magnum est erga eum esse benevolam, seu etiam beneficium, qui tibi nihil mali fecerit; illud nullo grandius & magnificentissime bonitatis est, ut tuum quoque inimicum diligas. S. Bernard. serm. ferie 4. hebdomade penosæ ad hæc verba: Majorem charitatem nemo habet, &c. dicit: Tu habuisti majorem, Domine, ponens animam etiam pro inimicis: ergo. R. Hos & similes Patrum textus duplici sensu excipi: 1. Non comparant dilectionem amicorum seorsim cum dilectione inimicorum: sed eam dilectionem, quæ est amicorum tantum, cum ea, quæ supponit dilectionem amicorum, & insuper includit dilectionem inimicorum: & hæc indubie est melior, & magis meritoria, quam dilectio amicorum tantum. 2. Loquuntur SS. Patres in suppositione, quod dilectio inimicorum fiat, ut sæpe contingit intensior propter difficultatem, & quod eadem intentione non feratur in amicos; quo casu etiam est melior. Sed hoc non semper, nec necessariò sequitur: tum quia eodem gradu intenso, quo diligo inimicos, possum diligere amicos: tum quia, ut jam dixi, minima charitas se extendit ad omnia diligibilia, diligit Deum super omnia, sique potest omnes difficultates superare. Unde possum diligere amicum & inimicum in eodem gradu, puta ad duo; & hoc sensu, ut iterum repetam, procedit conclusio.

Obj. 4. Dilectio inimici est difficilior, quam amici: ergo & melior. R. N. Conseq. (Ibid. a. 8. ad 3.) Plus enim facit ad rationem meriti & virtutis, bonum, quam difficile. Unde non oportet, quod omne difficile sit magis meritorium, sed quod sic est difficile, ut etiam sit melius, ut proinde difficultas operis sequatur rationem boni. Difficultas autem, quæ reperitur in dilectione inimici, non sequitur rationem boni, cum non proveniat ex obiecto quatenus bonum est, sed e contra quatenus a bono deficit. Denique exemplum patens est in dilectione Dei, quæ melior est, quam dilectio proximi, licet ista sit difficilior.

## ARTICULUS VII.

## De Præceptis Charitatis.

Charitatis nomine hic non intelligitur habitus charitatis, sed actus; non enim præcepta dantur de habitibus, sed de actibus. Cum itaque in præsentis Dissertatione egerimus de præcepto actu charitatis, qui est dilectio, præsentem quæstionem hic propono, quam tractat Auctor infra q. 44.

## §. I. Utrum detur speciale præceptum diligendi Deum actu interno?

Non pauci docuerunt, non dari præceptum speciale & a cæteris distinctum, diligendi Deum actu interno explicito; sed dilectionem Dei præceptam nihil aliud esse, quam observantiam cæterorum mandatorum, etiam siæ illo interne dilectionis affectu; quod sanè non parum offendit pias aures. Contra quos itaque

Dico, (Hic q. 44. a. 1. ad 1.) Datur speciale & a cæteris distinctum præceptum diligendi Deum actu & actu interno explicito, & non solum effectu observando cætera mandata. Prob. 1. Ex his Christi verbis Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: hoc est maximum & primum mandatum. Secundum simile est huic, diliges proximum tuum sicut te ipsum; in his duobus mandatis universa lex pendet. Idem legitur Deut. 6. Luc. 10.

Ex his triplex formo argumentum. 1. Juxta August. & omnes Interpretes verba Scripturæ in sensu naturali, & obvio accipiuntur, nisi obstet inconveniens; atqui ista verba, diliges ex toto corde, in tota anima, in tota mente, naturaliter & obvio affectu & actu internum dilectionis significant, nec nisi per apertam violentiam in alium sensum detorqueri possunt; neque huic sensui ullum obstat inconveniens, quia imò in hunc sensum omnia conspirant: ergo. 2. Inter ea, quæ distincta non sunt, non potest numerari primum, secundum, & tertium, neque unum potest dici maximum; hoc per se patet; atqui juxta Scripturam citatam præceptum dilectionis Dei inter cætera numeratur primum, præceptum dilectionis proximi secundum; cætera, quæ ab his duobus pendent, tertium item præceptum dilectionis Dei dicitur maximum inter alia: ergo præceptum dilectionis Dei est speciale, & distinctum a cæteris præceptis. 3. Nihil pendet a seipso; atqui lex, seu præcepta totius legis pendet ab his duobus præceptis: ergo hæc duo præcepta sunt a cæteris distincta. Cogitum. Scriptura distinguit dilectionem Dei & observantiam mandatorum, ut causam & effectum, ut signum & significatum, Joann. 14. Si diligitis me, mandata mea servate. Ubi dilectio assignatur ut causa observantia mandatorum, & observantia mandatorum, ut signum dilectionis.

Prob. 2. Virtus charitatis non est tantum imperativa actuum observantia mandatorum, sed etiam est elicitiva affectuum & actuum propriorum, ut per se constat: ergo etiam præceptum charitatis non obligat tantum ad actus imperatos, seu ad observantiam mandatorum, sed etiam ad actum proprium elicivum charitatis, qui est formalis & explicitus amor Dei. Idque aperte innuit Scriptura, non solum locis jam citatis, sed etiam 1. Cor. 16. Si quis non amat Jesum Christum, anathema sit: & 1. Joann. 4. Nos ergo diligamus Deum, quoniam prior dilexit nos. Hæc faciunt sequentes propositiones damnatae. 1. Homo nullo unquam vita sua tempore tenere elicere actum fidei, spei, & charitatis, ex vi præceptorum divinarum ad eas virtutes pertinentium. Est prima inter damnatas ab Alex. VII. ann. 1665. 2. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret? condemnare non audeamus. 3. Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquennis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

## §. II. Quandoam obliget præceptum Charitatis?

Suppono, hoc præceptum sicut cætera obligare dupliciter, per se, & per accidens ratione alterius præcepti quod sine actu charitatis impleri non potest, ut diximus de præcepto fidei.

Dico 1. Præceptum dilectionis Dei per se obligat, primò initio usus rationis ad hoc sufficientis, de quo sãt superque dixi in Tract. de Peccatis Dissert. 8. a. 8. Vide. 2. Obligat per se in fine vite; quia, cum tunc spiritus revertatur ad Deum, qui creavit illum, & diabolus maxime illi insidietur, gravissimæ negligentia & contemptus accusaretur homo, si non se converteret per amorem ad Deum, cui sperat amore æterno conjungi in beatitudine. 3. Obligat per se sæpius in vita, cum charitas sit virtus precipua, qua tendimus in finem: propter quem creati sumus. At quoties & quando? Incertum est.

Habemus ex propositionibus damnatis, quod non sufficiat semel in vita, nec semel in quinquennio. Non arbitramur etiam obligare quotidie, ut quidam putant colligere ex Oratione Dominica; quatenus, inquit, Christus nos docuit quotidie illam recitare, dum per eam jus sit sic petere: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: dicendo enim hodie significat illum singulis diebus esse petendum: recitando autem cum intellectu orationem Dominicam, exercemus actum formalem dilectionis, dicendo, sanctificetur nomen tuum, quod non est aliud, quam velle, quod nomen Dei ubique & ab omnibus habeatur sanctum. Itã quidam Recentiores, quorum alii hanc sententiam tuerentur ut verisimiliorem, alii ut non improbabilem. Verum esto Christus docuerit recitare quotidie Orationem Dominicam, idonee stricte præceptum? Hoc erat ante omnia probandum. Fortene condemnabitur peccati mortalis, qui uno, vel altero die non recitaret Orationem Dominicam, si interim alias Orationes recitet, aut si quotidie recitaret, sed interdum sine intellectu? Item ex eodem principio pari jure inferam, nos teneri quotidie ad actum dilectionis proximi; id quidem admittunt Adversarii consequenter ad suum principium. Sed fallor, si hæc Sententia non reputetur ab omnibus aliis singularis, durior, & rigidior. Denique, dato esse præceptum rigorosum recitandi quotidie Orationem Dominicam; potest huic præcepto satisfieri absque actu dilectionis. Si namque peccator timore inferni attritus, volens sincerè reverti ad Deum, recitet attentè, & in quantum potest devotè, Orationem Dominicam, ut impetret a Deo dilectionem necessariam ad suam perfectam conversionem, nemo dicet, eum peccare & non satisfacere obligationi recitandi Orationem Dominicam, & tamèn non elicere actum dilectionis Dei super omnia. Potest ergo recitari Oratione Dominica, si ut satisfiat ejus præcepto, si detur, absque eo quod eliciatur actus dilectionis.

Longe ergo probabilis & moderatis sentiunt; qui vel assignant dies Dominicos & festos, in quibus cum fideles colunt Deum ut omnium rerum principium, inde incitantur etiam ad eum amandum; vel qui semel aut bis in septimanam actum dilectionis requirunt. Sed cum, ut dixi, hæc incerta sint, hortandi sunt fideles, ut sæpe & sæpius, in quantum possunt, in his actibus charitatis se exercent. Quod facile præstabit, si cum attentione & affectu recitent Orationem Dominicam: quamvis enim, ut dictum est, non importet necessariò actum dilectionis, sæpe tamèn adjunctum habet, quando cum attentione & speciali affectu recitatur. Certò autem in hoc præceptum impingunt, qui diu versantur in occasione proxima peccandi, vel prava consuetudine; neque tamèn tenentur hujus præcepti omissionem in confessione exprimere, quia satis intelligitur ex confessione occasionis proxime, aut prava consuetudinis; de eo tamèn monendi sunt Penitentes, ut peccatum suum agnoscant & doleant.

Dico 2. Per accidens obligat præceptum dilectionis Dei, quoties urget aliud præceptum, quod non potest impleri sine dilectione; quia, qui tenetur ad finem, tenetur ad media. Hinc obligat 1. Quando tentatio odii Dei, aut alterius peccati superari non potest absque expresso actu dilectionis Dei. 2. Quando homo tenetur aut vult justificari, non solum sine Sacramento, sed etiam, secundum nos, cum Sacramento, intelligendo de dilectione Dei super omnia, etsi nondum sit charitatis. 3. In casu Martyrii. Plures alii casus a quibusdam assignantur, sed interiti. Confer, quæ dixi de præcepto fidei Dissert. 2. a. 4. §. 2. Quantum ad præceptum dilectionis proximi: obligat, inquit Sylvius, quando offensa est inimico condonanda, & quando

ipsi est bene faciendum. Addit quādo hoc esset necessarium ad superandam temptationem odii, vel alijus alterius peccati contra proximum. Sed hæc obligatio est per accidens. Subdit: de aliis casibus nihil est certi; nisi quod hæc dilectio non sit diu differenda. Hanc diu differre non presumentur, qui sæpe attentè, ac devotè recitent Orationem Dominicam, ut dictum est.

§. III. An, & quomodo Homo, deliberatè agens, teneatur omnia & singula sua opera referre in Deum?

Huc revocandæ sunt variae intentiones, seu relationes operum in finem, quas art. 5. Dissert. 1. de ultimo fine recensimus, scilicet actualis, virtualis, interpretativa & habitualis: sed maxime attendendum ad duplicem virtutalem, quarum unam diximus explicitam ratione prioris intentionis actualis virtualiter perseverantis; alteram implicitam ratione objecti ex se tendentis in finem, cujus objecti honestate movetur agens ad agendum. Vide prænotam dicti articuli. Quidam Theologi ea, qua par est, reverentia suscipientes Ecclesiæ definitiones, agnoscent non omnia opera Infidelium esse peccata, nec omnes eorum virtutes esse vitia; sed contendunt, eos peccare in omni suo opere, non peccato commissionis, sed omissionis, scilicet defectu relationis in Deum propter se dilectum: volunt enim, hominem, quotiescumque deliberatè agit, teneri sub peccato veniali actum referre in Deum amore, non quidem charitatis, sed benevolentia, relatione virtuali explicita; relicta scilicet ex actuali relatione præcedente, que adhuc perseverat & in opus influat; sic tamèn ut defectus hujus relationis ipsum quidem operantem inficiat, at non ipsum opus. Hujus opinionis spraxim case piam & omnibus consulendam, ultrò concedimus; at, ad eam præcepto adstringere minus verum arbitramur; itaque pro explicatione & assertionem sententia communitissimæ.

Dico 1. Homo tenetur aliquoties omnia opera sua referre relatione virtuali explicita in Deum ut ultimum finem sive naturalem, sive supernaturalem, eo scilicet modo quo illum cognoscit, aut cognoscere potest. Prob. Quia omnis homo sive fidelis, sive infidelis, tenetur aliquoties elicere actum amoris Dei, ut finis ultimi, seu super omnia, scilicet in primo instanti morali usus rationis, vel saltem circa illud & sapiens in vita; id omnes admittunt etiam de infidelibus; quia, licet Deum ut Auctorem naturam non cognoscant, possunt tamèn illum cognoscere, cum de eo non detur ignorantia invincibilis, ut diximus in I. Parte; atqui in actu hujusmodi amoris Dei super omnia, & ut ultimi finis, involvitur virtualiter relatio omnium operum in Deum, ut ultimum finem, finis enim ultimus est id, quod propter se appetitur, & cætera propter ipsum. Undè Auctor in 2. d. 40. q. unica art. 6. *Quandò aliquis, inquit, cogitat se totum ad Dei dilectionem dirigere, tunc quidquid ad se ipsum ordinat, in Deum ordinatum erit.* Et ibid. infra: *Quandocumque habitus charitatis existit in actu, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum, & per consequens omnium eorum, que in ipsum ordinantur ut bona sibi.*

Dico 2. Ut tam operans, quam opus eximantur à peccato, non est necesse, quod homo, deliberatè agens, toties quoties referat opus suum in Deum propter se dilectum relatione virtuali explicita, sed sufficit relatio virtuali implicita: seu, ut distinctius loquar, non est necesse, quod præcesserit actualis relatio in Deum propter se dilectum, cujus vi & influxu elicatur opus; sed sufficit, ubi non urget præceptum dilectionis Dei super omnia, quod opus sit ex objecto honestum, & nullo pravo fine, nullave alia prava circumstantia vitiatum; sic ut operans ex libera electione conformiter dictamini recte rationis & legis naturalis spontè se subijciat Auctori hujus legis, diligensque honestatem particularem hujus operis censeatur diligere virtualiter implicitè primigeniam & fontalem honestatem, quod est ipse Deus, cujus hæc particularis honestas est participatio, consequentèr intendat implicitè ipsum Deum. Ità communiter Theologi, exceptis paucis; in hoc tamèn discordes, quod quidam dicant, hanc relationem esse tantum ex parte operis, alii esse etiam ex parte operantis; sed questio mihi videtur de nomine. Puto enim apud omnes esse conpertum, hanc relationem non posse dici ex parte operantis nisi ratione operis, hoc est, nisi quia operans ex libera electione facit opus, quod ex se tendit in Deum, motus hujus operis honestate. Quo sensu nihil vetat dici ex parte operantis: *Referitur in Deum ab operante*, inquit Doctiss. Sylvius 1. 2. q. 109. a. 2. concl. 6. ad 5. *quatenus ipse mandat propter honestatem virtutis, vel recte rationis*

*operari id, quod ad Deum referri aptum est, neque ista relationi ullum ponit impedimentum.* Et Laurentius Berti novissimus Scriptor, ex familia Eremitarum S. Aug. l. 8. c. 5. *„Dico, inquit, hujusmodi Regulæ (Rationi) consentanea, et si in Deum non referantur explicitè, quod necessarium est, ut ad æternam vitam perducant, referre implicitè. Non quod intrinseca bonitas honestarum operationum se ipsa referatur in summum bonum, id enim necessarium & naturale est, non liberum & morale; sed quia intentione animi opera illa fiunt ob intimam legem honestatis, quæ implicitè est Deus; atque hoc, arbitror, sufficere ad opus bonum morale ordinis naturalis: ne sit vitii labes, sufficit uniformitas legi naturaliter nobis indita.“*

Prob. 1. Conclusio. Nulla lex, nullum præceptum assignari potest, quo homo deliberatè agens teneatur referre opus suum in Deum, aliter quam sit dictum in conclusione nisi præceptum dilectionis Dei; quod cum sit affirmativum, non obligat pro semper, sed certis temporibus & circumstantiis: ergo, ubi non urget hoc præceptum, non tenetur homo referre opus suum in Deum, aliter quam sit dictum in conclusione. Antecedens, ultrò quod patet ex sol. Object. est expressè S. Th. in 2. cit. ad 6. ubi ait: *„si queratur, quandò oporteat actum referre in finem ultimum, hoc nihil aliud est, quam querere, quandò oporteat habitum charitatis exire in actum. Et 1. 2. q. 100. a. 1. sibi obijciens illud Apost. Omnia in Gloriam Dei facite: respondat ad 2. sic: Sub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet ut omnia referantur in Deum; & ideo præceptum Charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum: sic, qui honorat Parentes, tenetur ex charitate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod est, honora Parentes; sed ex vi hujus præcepti: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Et cum ista sint duo præcepta affirmativa, non obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare, & ita potest contingere, quòd aliquis implens præceptum de honoratione Parentum, non tunc transgreditur præceptum de omissione modi charitatis.“* Si dicas cum Adversariis. S. Th. hic agere de charitate strictè dicta: esto: sed, quod dicit de charitate, est etiam intelligendum de amore Dei benevolo, cum utrobiquè sit eadem ratio præcepti affirmativi.

Prob. 2. Infidelis, seu peccator, qui nulla præcedente actuali relatione in Deum propter se dilectum facit eleemosynam ex motivo misericordiæ, honorat Parentes ex motivo pietatis, solvit debita ex lege justitiæ, ex nullo capite peccat; non ex parte objecti, quia bonum & honestum est; non ex parte circumstantiarum, quia suppono nullam pravam adesse; non ex defectu finis, quia habet pro fine proximo & explicito honestatem particularem hujus operis; & cum hæc honestas particularis ex se tendat, & referatur ad fontem, auctorem, & consummatorem totius honestatis, qui est Deus, Deum habet virtualiter implicitè pro fine ultimo; ergo. Confirm. 1. Qui vult aliquod opus honestum, v. gr. eleemosynam formaliter explicitè propter particularem illius honestatem, vult virtualiter explicitè propter honestatem secundum se; non enim movetur virtualiter explicitè ab honestate secundum se; & cum hæc honestas secundum se in re sit Deus, vult virtualiter implicitè propter Deum.

Confirm. 2. et magis explicatur hæc fundamentalis ratio. Peccator, seu infidelis, in quo amor honestatis & æquitatis naturalis non est penitus abolutus, qui ex eo amore quædam justa & honesta facit absquè ulla admixtione prava circumstantiæ, sed conformiter dictamini recte rationis & legis naturalis, v. gr. reddit proximo, quod suum est, servat fidem amico datam, miseretur innocentis afflicti &c. præcisè quia hæc justa videt, ad ea se teneri, lumine naturali sentit: 1. hic & nunc obedit Deo, licet eum non satis explicitè cognoscatur, quia facit id, quod Deus omnis æquitatis auctor facere præcipit. 2. Operatur implicitè propter Deum, quia operatur propter æquitatem & honestatem naturalem, cujus Deus est auctor & consummator. 3. Implicitè & secundum quid amat Deum, ut primam actionum honestarum regulam, quia amat honestatem, quam Deus amare præcipit. Undè Aug. in Ps. 100. dicit: *Quidquid bene fit, Deo fit; quia ex ejus præcepto fit.* Id etiam habemus ex Scriptura, quæ dicit Obsterices Ægyptiæ timuisse Deum, & ob id non interfecisse pueros Hebræorum; non enim est sensus, eas ex motivo pro fidem cognito ab hoc homicidio abstinuisse, cum essent infideles, sed ex reverentia naturalis præcepti vetantis innocentes interficere, quam lato modo Scriptura vocat timorem

rem Dei, id est, reverentiam præcepti divini naturalis. Similiter Abraham inter infideles commorans dicebat Genes. 20. *Cogitavi mecum dicens, forsitan non est timor Dei in isto loco, & interficiens me propter uxorem meam.* Non enim dubitabat Abraham, sed certo sciebat hujus Regionis Incolas esse infideles; sed dubitabat, an ita mali essent, ut timor naturalium Dei præceptorum violandorum illos impediret, quin eum propter uxorem interficerent. Quo ergo sensu Scriptura dicit infideles, dum secundum dictamen rationis, & legis naturalis bona faciunt absquè relatione explicita in Deum, eos timere Deum, eodem nos dicimus eos amare Deum, & propter ipsum agere, sicutque eorum opera non carere sine debito.

Dices, his non obstantibus, relationem hanc nostram implicitam videri necessariam, consequenter non conferre acervi bonitatem moralem. Dicimus enim, operantem referre implicitè opus suum ad Deum, quia ipsum opus ex se, & necessario tendit in Deum. R. Nostram relationem non esse necessariam absolute, sed esse ex suppositione libera. Operans enim ex plena deliberatione, sciens, & volens eligit opus verè bonum, & honestum, nulla prava circumstantia vitiatum, sed conforme rationi, & legi naturali, quod ideo ex se tendit in Deum.

Hujus nostre rationis fundamentum quidam ex nostris repetunt ex principio, quod statuit S. Th. 1. 2. q. 1. a. 6. ubi docet: *Necesse esse, quòd omnia, que homo appetit, appetat propter ultimum finem; quia quidquid homo appetit, appetit sub ratione boni; quòd autem si non appetitur ut bonum perfectum, quod est ultimus finis, necesse, ut appetatur ut tendens in bonum perfectum; quia semper inchoatio alicujus ordinatur ad consummationem ipsius: sicut patet tam in his, que sunt a natura, quam in his, que sunt ab arte.* Equidem isti sistendo; illa relatio est necessaria, seu ut quidam dicunt, abstracta, non moralis, convenientique peccantibus. Sed observandum est, quod iste finis ultimus, quem homo necessario appetit in omni suo actu, sit bonum ut sic, seu beatitudo in communi. Homo autem ex deliberatione illud bonum in communi determinat ad aliquod bonum speciale verum, vel apparens; si ad bonum apparens, peccat, & actus ejus non est referibilis in Deum, sed referens a Deo, si ad bonum verum, & honestum, ut in suo gradu constitutum, & conformiter rationi, nihil prohibet adhiberi dictum generale S. Th. & quod ille dixit de ultimo fine in communi, dicere de ultimo fine particulari, & determinato, atque ex illo inferre, quod iste actus verè bonus, & honestus tendat in Deum; quia inchoatio alicujus ordinatur ad consummationem ipsius; Deus autem est auctor, & consummatio totius honestatis; & verè bonitatis: & hæc relatio non est necessaria, & abstracta, sed, ut modo dicebam, libera, & moralis, quatenus operans, sciens, & volens, eligit conformiter recte rationi, & legi bonum verum, & honestum, non apparens. Hæc obiter dicta sint, non quòd existimem necessariam assertionem conclusionis nostre; sed ut ostendam illos, qui hoc D. Th. principium adhibent in probationem hujus sententiæ, nihil absurdum, aut exotici proferre, ut quibusdam visum est.

Prob. 3. præcludendo effugium adversariis. Si homo deliberatè agens teneatur referre omnes suas actiones in Deum propter se dilectum relatione virtuali explicita ad sensum adversariorum, defectus hujus relationis vitaret non solum operantem, sed etiam opus; atqui falsum consequens, factentibus ipsis adversariis: ergo & Ant. Prob. sequela majoris. Actus, cui deest aliqua circumstantia, quæ debet inesse, malus est; atqui si homo teneatur referre suum actum in Deum relatione virtuali explicita, & non referat, actui ejus deest circumstantia, quæ debet inesse, scilicet ista virtualis relatio in Deum: ergo. Maj. constat ex illo principio, communiter recepto: *Bonum ex integra causa, malum ex quovis defectu:* & ex Auctore dicebat, *quòd actio, in quantum deficit ei aliquod de plenitudine essendi, quæ debetur actioni humane, in tantum deficit a bonitate; & sic dicitur mala.* Confirm. Actus non ordinatus ad debitum finem est actus inordinatus, & malus. Undè Auctor dicit: *Actus, a ratione deliberativo procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, & habet rationem mali.* Ex quo principio probat, non dari actum indifferenterem in individuo; atqui juxta adversarios actus, non relatus ad Deum propter se dilectum relatione virtuali explicita, est actus non ordinatus ad debitum finem: ergo.

Respondent, Deum propter se dilectum esse finem extrinsecum operi, & ipsi debitum, non ratione ipsius operis, sed operantis; sicutque ejus defectus inficit non opus, sed operantem: idque variis exemplis illustrant. Sic v. gr. qui Theol. Billuart. Secunda secundum.

debet solvere centum florenos intra mensem, solvit tantum 50. peccat, & tamèn solutio 50. florenorum non inficitur, nec mala est. Ità Daëlmán. Sic servus in arte pingendi peritus, qui tenetur omnia suo Domino asserere, si imaginem, quam elegantèr pinxit, subtrahat Domino, peccat, at non ideo viatur illa imago. Ità inquit, homo tenetur eleemosynam, quæ utique est opus bonum, & laudabile, referre ad Deum; si non referat, peccat, at ideo eleemosyna non vitatur. Ità Aurelius Pictre. Sed contra: Quamvis Deus propter se dilectus sit finis extrinsecus operi, puta eleemosyna secundum se considerata, & ipsi sic consideratè debitus ex parte operantis tantum; supposito tamèn, quòd fiat, & ponatur in individuo, non est minus illi intrinsecus, & ratione sui debitus, quam quævis alia circumstantia, ita ut si desit, opus, quòd est ex objecto bonum, fiat in individuo malum. Sic v. gr. locus, tempus, modus, &c. sunt circumstantiæ extrinsecæ actui, puta eleemosyna secundum speciem consideratè; attamen in individuo, si fiat eleemosyna sine debito loco, tempore, modo, &c. erit mala: ergo similiter, si fiat sine debito finem. Idque eo verius est, quòd S. Th. & cum eo communiter Theologi probent actum secundum se indifferenterem esse malum in individuo, non quia operans apponit illi malum finem, sed quia non apponit ipsi bonum finem, qui tamen finis est operanti, & actui secundum speciem extrinsecus. Sic ambulationi v. gr. secundum speciem consideratè, est extrinsecus, & indebitus finis bonus, ut sic enim est indifferens; si tamen exerceatur, & non fiat propter bonum finem, erit mala. Undè in hoc videntur hallucinari Adversarii, quòd non satis distinguant inter actum secundum speciem, & actum in individuo.

Neque dicas cum Daëlmán, quòd defectus relationis in finem honestum, in actu secundum speciem indifferente, sic defectus Regulæ proximæ actuum humanorum, quæ Regula est debita actioni deliberatè, tamque afficit: defectus autem relationis in Deum propter se dilectum sit defectus Regulæ remotæ, & finis ultimi, qui non perinde ac Regula proxima afficit ipsum opus, sed operantem. Contra est enim 1. Quòd non minus recte rationi, quæ est proxima Regula actuum humanorum, repugnet, quòd actus, qui debet referri ad finem ultimum extrinsecum, ad ipsum non referatur, quam quòd actus, qui debet referri ad finem proximum extrinsecum, ad ipsum non referatur; ergo, si defectus relationis ad finem proximum extrinsecum afficiat actum ita, & defectus relationis ad finem ultimum extrinsecum, 2. Ideo opus secundum speciem indifferens est in individuo malum, quia operans tenetur illi præfigere, & non præfigit finem proximum honestum, quantumvis iste finis sit extrinsecus huic operi secundum se considerato; atqui juxta Adversarios tenetur pariter illi præfigere finem ultimum, scilicet Deum propter se dilectum: ergo defectu hujus ultimi finis opus erit etiam malum.

Ad 1. exemplum oppositum R. omissionem solutionis 50. florenorum non esse circumstantiam afficientem moraliter solutionem 50. florenorum, sicut ommissio finis debiti afficit opus, sed esse concomitantem tantum; sicut esset ommissio sacri, aut jejunii præcepti. Cujus indicium est quòd, transacta solutione 50. florenorum, remaneat adhuc obligatio solvendi alios 50. sic ipsum operantem, seu debitorem afficiens, ut adhuc peccet donec solverit; at transacto opere, v. gr. eleemosynæ, non remanet amplius obligatio relationis ad Deum, neque ex hac parte deinceps peccat operans. Ad 2. exemplum disparitas est, quòd imago sit quid physicum, & non morale, ideoque defectu finis debiti non vitietur; secus autem actus humanus in individuo. Ex hac probatione, si valeat, ut puto valere, inferes. Adversarios non ita facile se expedire a propositionibus damnatis in Bajo, & Quesselio, præsertim ab ista Bajæ: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia;* & ab aliis ejusdem sensus, damnatis ann. 1690. ab Alexandro VIII. scilicet 7. 8. 11. 12. & 13. sed & dato, opus defectu relationis non infici, sed solum operantem, nec ideo, ut videtur, omnino evadunt adversarii. Hinc enim

Prob. 4. conclusio ab absurdis. Si homo defectu relationis virtualis explicitæ in Deum propter se dilectum peccat, dum opus ex objecto bonum agit, sequitur 1. quòd necesse sit, infidelem, quandiu manet infidelis, in omni opere peccare; quòd videtur damnatum ab Alexandro VIII. in hac propositione: *Necesse est, infidelium in omni opere peccare:* est 8. quòd obvio sensu intelligitur, quandiu est infidelis.

Respondet D. Daëlmán, infidelem, juxta suam sententiam.

tiam, non peccare in opere, quod ex se bonum est, sed in defectu relationis. De tali Responsione dicam, quod de sententia ipsa adversariorum dixit Estius, Academiae Lonyaniensis alumnus, & decus in 2. D. 41. §. 4. Hac recte ne, an recte dicantur, expendant doctores. Videant, ut Alexander VIII. nihil aliud voluerit damnare in hac propositione: Necessae est, infidelem in omni opere peccare, quam quod jam damnaverat tres summi Pontifices in hac propositione Baii: Omnia infidelium opera sunt peccata? Videant, an hac propositio damnata non sit excogitata, ut exprimeretur sententia adversariorum, & eximeretur a censura Bajana? Videant denique, nam, qui facit opus, cui deest debiti finis circumstantia, non vere dicatur in sensu naturali, & obvio peccare in isto opere.

Sequitur 2. quod, qui dolet de peccato merè ob ejus turpitudinem, sine ullo ad Deum offensum respectu, peccet: quod iterum videtur ab eodem Pontifice damnatum in hac propositione: Reverti peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & inconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu. Scio, adversarios vim facere in hac particula offensum, quasi peccator, qui dolet de suo peccato propter ejus turpitudinem, si referat hunc dolorem ad Deum, possit referre ad Deum non offensum.

Sequitur 3. Quod, qui elicit actus fidei, spei, aut etiam operatur bonum solius aeternae mercedis intuitu, absque ulteriori relatione ad Deum propter se dilectum, peccet: quod quam sit absurdum Scripturae, Patribus, & sanæ Doctrinae repugnans, pensavit ipse Daëلمان, dum respondet id esse speciale actibus fidei, & spei, quod habeant Deum pro objecto formali, & in actu fidei includatur pia affectio erga primam veritatem, & in actu spei amorem concupiscentiae, quo Deum appetimus ut ultimum finem nostrum: dicitur id sufficere, ut operans non peccet defectu relationis. Verum sic respondere non est argumentum solvere, sed meo saltem iudicio, est illi succumbere. Hinc enim habemus, fatente adversario, ut operans non peccet, non requiritur relationem virtualem explicitam in Deum propter se dilectum: neque enim pia ista affectio erga primam veritatem ut objectum formale, neque iste amor concupiscentiae ultimi finis nostri ut objecti formalis, respiciunt Deum propter se dilectum; sique; quidquid agat homo ex amore spei, seu propter obtinendum ultimum finem, sive orando, sive studendo, sive laborando, sive carnem macerando, sive indigenti succurrendo, sive Parentes colendo, sive debita solvendo, aut quidvis aliud ex genere bonorum, sine ullo respectu ad Deum propter se dilectum, non peccat: ergo magna illa principia, & generalia praecepta, quae tantoperè extollunt adversarii, scilicet Deum esse ex toto corde diligendum, omnia in gloriam Dei, in nomine Christi, in charitate esse faciendam, non continent universalitatem actionum nostrarum immediate in seipsis, nec obligant pro semper: ergo penitus ruunt fundamenta hujus sententiae; hae sunt enim ferè unica.

Tandem sequitur 4. peccatorem, qui timet Deum, & ejus justitiam, si hunc timorem non referat ad Deum propter se dilectum, non disponi ad Dei amorem, & sui justificationem contra Trid. sess. 6. c. 6. Non enim concipitur, quomodo homo peccando, etiam si venialiter tantum, disponitur ad Dei amorem, & sui justificationem. Si dicas eum non peccare, quia timet, sed quia timorem non refert ad Deum propter se dilectum: Capi. Sed interim peccat, & quantum per bonum timorem disponitur ad Dei amorem, & sui justificationem, tantum retrahitur, & ut ita dicam, indisponitur per peccatum, ita ut melius esset non timere, quam timendo non referre timorem ad Deum propter se dilectum. Dices: Referat ad Deum propter se dilectum: Bene. Sed ad hoc debet prius amare, quam timere, & tamen Concilium definit timorem, secundum legem Dei ordinariam, praecedere amorem, ad eum disponere. Ceterum hae dicta sint disputationis ergo. Absit enim, ut ullam notam inuramus Theologis, non minus Religione, quam Doctrina commendatisimam; praesertim cum ipsi testentur, hanc suam sententiam fuisse ann. 1677. S. Scdi propositam, nec improbatam.

Prob. ultimum. Si esset obligatio referendi virtualiter explicitè omnia opera ad Deum propter se dilectum, hac obligatio foret ex genere suo sub mortali peccato; atqui falsum consequens, fatentibus Adversariis: ergo & Ant. Prob. sequela majoris 1. quia istam obligationem fundant in praecocepto diligenti Deum ex toto corde; atqui hoc praecoceptum obligat ex genere suo sub mortali, ut illius transgressor in re gravi peccet mortaliter, ut omnes fatentur; potest autem hic esse materia gravis, ut si v. gr. longa se-

ries actionum in stat eligendo subtraheretur Deo, & ad ipsum propter se dilectum non referatur: ergo. 2. Quia fundant iterum hanc obligationem in praecocepto naturali agnoscendi, & constituendi Deum sicut primum principium, ita & finem ultimum omnium actionum nostrarum; atqui objectum hujus praecocepti naturalis est secundum se grave: ergo & obligatio gravis; quia obligatio praecocepti naturalis sequitur naturam sui objecti. 3. Quæro 2b Adversariis, quo fundamento nisi, Deo praecoceptum omnia ad se propter se dilectum referri, dicunt istud praecoceptum obligare tantum sub veniali, dum alia praecepta sive naturalia, sive divina, ubi objectum secundum se est grave, obligant secundum se, ex genere suo sub mortali?

Respondet 1. D. Daëلمان, quod, licet opus sit quid notabile, non debetur sub gravi obligatione. Sed hoc est; quod quæro, cur istud praecoceptum non obliget graviter in re notabili, & alia praecepta obligent notabiliter in re notabili? Reponit: Qui diebus feriatis mittit assistere sacro, dum nihil omnino habet occupationis, propter quamdam incuriam salutis, peccat tantum venialiter, licet sacrum sit quid notabile. Item peccaret tantum venialiter, qui deus rem notabilem proximo ex quadam, & communi gratitudine, illam tamen non daret. Sed contra ad 1. Ideo peccat tantum venialiter, qui ex incuria salutis mittit sacrum die feriati, quia non est praecoceptum audiendi sacrum tali die, sed est tantum praecoceptum commune non negligendi salutem; omisio autem sacri non praecocepti est materia levis respectu hujus praecocepti communis. At hic, juxta Adversarios, est strictum, & speciale praecoceptum omnia referendi in Deum suo sensu, & istud praecoceptum potest cadere supra rem notabilem. Ad 2. S. Th. 2. 2. q. 107. a. 3. o. docet quod ingratitude privativa, qua quis omittit reddere alteri, quod debet ex gratitudine, possit esse peccatum mortale propter conditionem ejus, quod subtrahitur, quod ex necessitate debetur beneficio, sive simpliciter, sive in aliquo casu necessitatis. Quod autem extra hunc casum ingratitudo non sit peccatum mortale, ideò est, quia obligatio gratitudinis non est stricti juris, sed tantum ex debito honestatis; quod non possunt dicere Adversarii de praecocepto referendi suo sensu omnia in Deum, quod juxta ipsos est praecoceptum diligendi Deum ex toto corde, & ipsum agnoscendi, ac constituendi primum principium, & ultimum finem.

Respondet 2. Quod non subtrahatur Deo notabilis substantia actionis, quae supponitur rigorose non deberi, quia non est praecoceptum; sed tantum subtrahitur modus relationis, qui non semper constituit materiam notabilem. Sed contra: Quod tendat Doctores. Daëلمان in hac sua Responsione, pro tenuitate mea, fateor, vix, aut ne vix capio. Etenim, qui solvit debita, qui honorat Parentes, urgente praecocepto, qui subveit extremè, aut graviter indigenti, sine relatione Adversariorum, subtrahit Deo notabilem actionum substantiam, quae rigorose debetur, quia est praecepta. Quod si forte intelligat, harum actionum substantiam non esse praecoceptam vi praecocepti relationis in Deum, verum est; sed ipsarum actionum relatio vi hujus praecocepti est praecepta, & rigorose debetur: si ergo non referatur, subtrahitur Deo notabilis actionum substantia, quae rigorose debet illi referri, quia praecepta est referri; & sic remanet tota vis nostri argumenti. Insuper dum dicit, quod subtrahatur tantum modus relationis, qui non semper constituit materiam notabilem, supponit, quod aliquando constituit materiam notabilem; qui enim dicit non semper aliquid fieri, supponit aliquando fieri. Quando ergo continget, quod iste modus relationis constituit materiam notabilem ejus defectus erit peccatum mortale.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Apost. 1. Cor. 10. dicit: Sive manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in Dei gloriam facite. Cap. 16. omnia vestra in charitate fiant. Et ad Coloss. 3. omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum; atqui juxta S. Th. in 2. 2. ad Coloss. Lect. 3. & alibi, hae sunt praecepta, & non merè consilia: ergo. Neque dicas, esse praecepta affirmativa, quae non obligant pro semper; quia praecepta affirmativa; quae praecipunt universalitatem actionum nostrarum, qualia sunt assignata, obligant pro semper. R. Nos fieri cum Auctore, hae esse praecepta, sed omnia verificari in nostra sententia. Dicimus namque, hominem teneri aliquoties referre omnia sua opera in Deum propter se dilectum relatione virtuali explicita; quia tenetur aliquoties elicere actum amoris Dei super omnia, sive ut auctoris naturalis

tantum, si sit infidelis; potest enim illum sic cognoscere: sive ut auctoris supernaturalis, si sit fidelis, in quo actu amoris involvitur virtualiter ordinatio omnium suorum operum in Deum propter se dilectum, sicutque facit omnia in gloriam Dei, in charitate & in nomine Christi.

Cum autem opponitur, praecepta affirmativa, quae praecipunt universalitatem actionum nostrarum, obligare pro semper: id quidem verum est de praecoceptis affirmativis praecipientibus universalitatem actionum immediate in seipsis, non verò de praecipientibus universalitatem actionum mediate tantum & in causa. Praecoceptum autem referendi explicitè omnes actiones in Deum propter se dilectum, non est de universalitate actionum immediate in seipsis, sed in causa, scilicet in ipso actu formali charitatis, ut diximus ex S. Th. In utraque conclusione: quod praecoceptum charitatis, cum sit affirmativum, non obligat pro semper. Cum autem ista ordinatio & consecratio omnium actuum vi charitatis facta per peccatum mortale interceptur, manet quidem obligatio iterum illos ordinandi per alium actum charitatis, non tamen statim, nec toties quoties, sed quando urgebit praecoceptum charitatis; quod, ut dictum est, non obligat pro semper, nec toties quoties. Insuper agnoscimus, hominem, toties quoties deliberatè agit, teneri referre suum actum in Deum relatione virtuali implicita, quatenus tenetur semper agere, quod de se bonum & honestum est; non ultimè in eo sistendo, neque in aliquem pravam finem detorquendo, sed conformiter dicimini recte rationis & legis naturalis, & ut in suo gradu constitutum, sicutque intendere implicitè Deum, qui est hujus legis auctor, & hujus boni plenitudo & ultimus finis, propter quem est creatus. Et dicimus hac virtuali relatione satisfieri praecocepto Apostoli extra casus, in quibus obligat praecoceptum charitatis, ut plenius adhuc explicabitur in Responsione ad seq. Instantiam. Addo secundum textum Apost. esse explicandum ab ipsis opponentibus; non enim volunt, opera nostra esse ad Deum referenda ex charitate strictè dicta, sed tantum ex amore benevolenti. Nos ergo dicimus cum Auctore (In cap. 16. 1. Cor. Lect. 2.) sensum esse, quod omnia debeant referri ad finem charitatis, scilicet tantum propter Deum & proximum, eo modo quo ferunt conclusiones nostrae. Quantum ad 3. etiam addo, istud praecoceptum non spectare nisi fideles; sique in eo fundari non posse sententiam adversariorum, qui etiam infideles adstringunt praecocepto referendi omnia opera, relatione virtuali explicita, in Deum propter se dilectum.

Inst. S. Th. in 2. d. 40. q. 1. a. ultimo ad 7. explicans illud Apost. Omnia in gloriam Dei facite, dicit, hoc posse intelligi dupliciter; vel affirmative, vel negative. Si negative sic est sensus: nihil contra Deum facite, & hoc modo praecoceptum est: & sic praecoceptum hoc praeferitur, vel per peccatum mortale, quod contra Deum fit, vel per peccatum veniale, quod praeter praecoceptum & praeferendum fit. Si autem intelligatur affirmative, hoc potest esse dupliciter, aut ita quod actualis relatio in Deum sit conjuncta actioni nostrae cuiuslibet, non quidem in actu, sed in virtute, secundum quod virtus prime intentionis manet in omnibus actionibus sequentibus, sicut & virtus ultimi finis manet in omnibus finibus ad ipsum ordinatis; & sic adhuc praecoceptum esse & contingit omissionem ejus esse venialem, vel mortalem; atqui haec ipsissima est sententia adversariorum: ergo. R. N. Min. Nam adversarii volunt, omissionem praecocepti de relatione virtuali explicita in Deum propter se dilectum, in quovis casu esse tantum venialem. S. Th. verò dicit omissionem praecocepti de relatione, de qua agit, esse venialem, vel mortalem: ergo sententia S. Th. non est ipsissima sententia adversariorum. Dicendum itaque, quod dum S. Doctor dicit: Secundum quod virtus prime intentionis manet in omnibus actionibus sequentibus, in quibus verbis sita est vis argumenti; per virtutem primae intentionis nihil aliud intelligat, quam actum charitatis, seu amoris Dei super omnia, per quem homo virtualiter omnia sua ordinavit & donavit Deo, quo ordinatio & donatio perseverat, donec per peccatum mortale revocetur; quia revocatione posita, obligatur iterum omnia sua ordinare & consecrare Deo per alium actum charitatis, non tamen statim, nec pro semper, sed certo tempore & certis circumstantiis; in quibus si non elicatur actus amoris Dei super omnia, peccabit venialiter, aut mortaliter, secundum quod obligabit praecoceptum charitatis, attenda qualitate materiae & circumstantiarum. Per id autem temporis intervallum, quo actiones non sunt amplius ordinatae vi actus charitatis, nec urget ejus praecoceptum, non peccat homo, dum agit actus ex objecto bonos sine aliqua prava circumstantia; quia

sunt adhuc virtualiter implicitè ordinatae ad Deum, ad sensum 2. conclusionis.

Hanc esse mentem S. Th. constat ex ejus Responsione immediate praeced. ubi dicit: Non oportet, quod intentio actualis ordinans in finem ultimum sit semper conjuncta cuiuslibet actioni, quae dirigatur in aliquem finem proximum; sed sufficit, quod aliquando actualiter omnes illi fines in finem ultimum referantur: sicut fit, quando aliquis cogitat ad se ipsum ordinari, in Deum ordinatum erit. Et si quaeratur (attende) quando oporteat actum referre in ultimum finem, hoc nihil aliud est, quam quoniam, quando oporteat, habitum charitatis exire in actum; quia, quodcumque habitus charitatis in actu exit, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum & per consequens omnium eorum, quae in ipsum ordinantur, ut bona sibi. Et in 2. d. 41. q. 1. a. 2. ad 4. Praecocepta affirmativa non obligant ad semper, & ideò non oportet, ut actus infidelium, qui in finem ultimum (scilicet ultimum) non est ordinatus (scilicet explicitè) semper sit peccatum, sed solum pro tempore illo, in quo tenetur actum suum in finem ultimum referre. Idem dicit ibid. ad 2. Et Lect. 7. in c. 10. Ep. 1. Cor. dicit: Relatio haec in gloriam Dei intelligitur, vel in actu, vel in affectu referendi, scilicet explicitè. Unde juxta S. Th. sensus praecocepti apostolici affirmativè sumpti, quando non urget praecoceptum charitatis, est, quod non omnia nostra opera sint talia, ut de se tendant, in gloriam Dei, sicutque implicitè ad ipsum referantur, & ex his Deus & Christus possint glorificari, & proximus edificari, juxta illud Matth. c. Si luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra & glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est. Hinc intelligentiae aperte favet Aug. Sermon. 2. in Ps. 34. in fine, ubi sic ait: Suggesto remedium, unde tota die laudes Deum, si vis. Quidquid egeris, bene age, & laudasti Deum. Quando cantas hymnum, laudas Deum... Et quoties te cessasti ab hymno cantando, discedis ut refectur, noli inebriari, & laudasti Deum. Agrum colis, noli licem movere, & laudasti Deum. In innocentia operum tuorum prepara te ad laudandum Deum tota die. Ex his & dictis in conclusionibus facile responderetur ad quaedam alia, quae ex S. Doctore objici possunt.

Obj. 2. Matth. 22. dicitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & in tota anima tua & in tota mente tua; atqui non sic diligimus Deum, si vel unus affectus cordis ad ipsum non referatur, sed tunc in creatura haeremus: ergo R. Etiam juxta nos debere referri in Deum, vel virtualiter implicitè in actu charitatis, vel virtualiter implicitè appetendo secundum rectam rationem bonum honestum, in ejus appetitu Deus implicitè appetitur, ut, dictum est. Neque tunc haeremus in creatura; quia illud bonum honestum non appetimus, in eo ultimè sistendo, sed ut bonum inchoatum tendens ad perfectum, & ut rem in suo gradu constitutam ordinatam ultimè ad Deum, ut explicuimus. Ceterum multum a vero aberrant adversarii, si sic intelligant istud dilectionis Dei praecoceptum, quasi nihil praeter Deum sit amandum, aut nihil amandum, quod ad ipsam propter se dilectum explicitè non referatur, nempe extra tempus; quo urget praecoceptum charitatis. Longè verius Doctor Angelicus 2. 2. q. 184. a. 3. ad 2. illud intelligit sic, ut nihil supra Deum, aut contra eum, aut aequaliter ei, diligatur: quod est, ut communiter dicitur, vere & sincere diligere Deum super omnia appreciative.

Obj. 3. & praecipue ex Aug. c. 3. libr. 4. Contr. Juliani, Ibi S. Doct. inter plura alia, alloquens Julianum, dicit: Noveris, non officium, sed finibus, a vitis discernendus esse virtutes: officium est enim, quod faciendum est; finis vero, propter quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid; ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convictur. Et infra: Quidquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri vera sapientia praecipit, ipso non rectè sine peccatum est. Item infra quaerenti Juliano, si Gentilis nondum operuit; numquid, quia non est ex fide peccatum est? Respondet: Propterea in quantum non est ex fide, peccatum est; non quia per se ipsum factum, quod est nudum operari, peccatum est, sed de tali opere non in Dominum gloriantur solus impius negat esse peccatum. Ex quibus evidens est, non sufficere Augustinum, ut agens non peccet, quod ejus opus sit ex objecto bonum, sed insuper requiri, quod alia ulteriori relatione referatur in Deum, quae alia esse non potest nisi virtualis explicita.

Antequam respondeam, observo, S. Aug. ex his & aliis similibus principiis inferre contra Julianum, infidelium opera esse peccata, & eorum virtutes vitia. Si ergo August. ista

sic intellexit, ut necessaria sit relatio explicita, sine qua homo, opus ex objecto bonum agens, peccat, ut intelligunt & volunt adversarii, debent admittere hanc illusionem, scilicet, omnia infidelium opera esse peccata, esse ex mente Aug. aut fieri Augustinum male ratiocinatum fuisse. Neutrum admittunt: ergo fateantur, necesse est, se non attinere legitimum sensum Aug. Quis autem sit S. Doctoris sensus legitimus, in bona luce posuimus dissert. 3. de gratia art. 3. §. 2. vide. Itaque nunc R. 1. Aug. hæc verba, non recto fine, non in Domino gloriari, & similia, non sumere contradictorie, sed negative, sed contrarie, quasi diceret: in alio, quam in Domino gloriari, & perverso fine agere, peccatum est; ut videlicet ex negatione affirmatio intelligatur: quo sensu in Scriptura 1. Reg. 18. Saul dicitur non rectis oculis aspexisse Davidem. Itaque Augustinum interpretatur S. Th. & Estius, ut vidimus loco cit. de gratia. Idque manifestum est ex ipso Aug. eodem Cap. cit. 3. Quia, inquit, non fideli, sed infideli, hoc est, STULTA ET NOXIA faciunt voluntate. Ibid. Possunt ergo aliqua bona fieri, non bene facientibus a quibus sumuntur. Bonum est enim, ut subveniatur homini periclitanti, præsertim innocenti; sed ille, qui hæc facit, si AMANDO GLORIAM HOMINUM magis quam Dei facit, non bene bonum facit; quia non bonum facit, quod non bona voluntate facit: absit enim ut sit, vel dicatur voluntas bona, que in ALIIS, VEL IN SEIPSA, non in Domino gloriatur.

Ocurrunt Daëlmann non posse dici, quod Aug. agat de illis, qui actiones suas referunt in malam finem, sique non gloriantur in Domino; quia nulla unquam de tali re potuit esse questio, quia hoc esset malum: nec Aug. eo in casu potuisset dicere, vestire nudum non esse peccatum. Ad 1. fallitur vir eruditissimus; probavimus enim loco cit. de gratia ex Aug. Julianum ita deripuisse, ut assereret opera ex officio bona, etiamsi malo fine fierent, esse verè bona, & virtutes pravo fine turpes & deformes esse veras germanasque virtutes. Require loco cit. Obj. 2. Et quæso, nos, omnesque nobis consentientes, qui negamus esse peccatum non gloriari explicitè in Domino, audebit fortè Daëlmann vocare impios? Quod a mente Religiosi viri puto alienum: & tamèn solus impius negat, quod præterit Aug. Ad 2. R. August. potuisse eo in casu dicere, quod vestire nudum non sit ex objecto peccatum, sed ex fine operantis. R. 2. Opera, que sunt sine fide per dilectionem operante, ex recto tamen fine naturali, vocari ab Aug. peccata lato sensu, sumente peccatum pro omni eo, quod a fine deficit, & cui deest plenitudo suæ perfectionis, qualia sunt huiusmodi opera, que cum non fiant ex charitate, sunt sterilia ad Regnum Cælorum. Eodem sensu dicit, virtutes Philosophorum non esse veras virtutes, sed vitia; quia, quamvis possint esse, etsi rarò, sine malo fine, non tamèn conducent ad vitam æternam. Loquitur enim Aug. de virtutibus & bonis operibus, non moraliter & secundùm Philosophos sumptis, sed prout sunt meritoria Regni cælestis, seu ut dicit in eodem Cap. per quæ solùm homo potest ad æternum Dei donum, Regnumque perducere. Vide locum integrum loco cit. de gratia. Tandem Augustinum agnoscere in infidelibus, etsi rarò, opera verè bona & laudabilia, non solum ex objecto, sed etiam spectato fine, invictè probavimus, præsertim ex libr. de Spir. & Lit. loco cit. de grat. Prob. 2. Certum est autem, infideles non habere explicitè pro fine ultimo Deum propter se dilectum, quem ignorant, sed implicitè tantum in honestate actus, quam appetunt, & in dictamine rationis, quod sequuntur.

Inst. hæc relatio virtualitatis implicita non sufficit Augustino: ergo. Prob. Ant. ex l. 19. de Civit. c. 25. ubi sic ait de virtutibus hominis infidelis: Virtutes, quas sibi habere videntur... nisi ad Deum referant, etiam ipse vitia sunt potius quam virtutes: cum ad se ipsas referuntur, nec propter aliud expectantur, etiam tunc inflata, ac superbe sunt; & idè non virtutes, sed vitia iudicanda sunt; atqui, dum virtutes propter se appetuntur, est secundum nos virtualis relatio implicita in Deum: ergo. R. 1. Et hanc sententiam esse ab ipsis Adversariis solvendam. Non enim volunt, opera infidelium sine sua relatione virtuali explicitè esse peccata & vitia, ut hic dicit Aug. sed infidelem dumtaxat in his peccare non referendo in Deum. R. 2. D. Min. Dum virtutes propter se appetuntur, est virtualis relatio implicita in Deum, si in eis non ultimè sistatur C. Min. Si in eis ultimè sistatur tanquam in vera beatitudine N. Min. Et hoc sensu loquitur Aug. ut patet ex verbis immediatè seq. Sic enim, inquit,

non est a carne, sed super carnem, quod carnem facit vivere; sic non est ab homine, sed super hominem, quod hominem facit beatè vivere. Aug. ergo illic reprehendit Stoicos, qui in virtutibus moralibus suam beatitudinem constituebant, & de quibus Serm. 13. de verbis Apost. c. 7. sic loquitur: Existerunt autem alii superbi, quasi a carne se removentes, & totam spem beatitudinis suæ in anima sua constituentes, posuerunt summum bonum in virtute sua... tales fuerunt Philosophi, qui Stoici nuncupati sunt... dicebat Epicurus: mihi frui carne bonum est; dicebat Stoicus: mihi frui mea mente bonum est; dicebat Apostolus: mihi adherere Deo bonum est. Fatemur autem, virtutes sic propter se ultimè appetitas non esse veras virtutes, sed vitia, quippe quod hac prava intentione interceptatur virtualis relatio ad Deum, & hæreatur in creatura, illa fruendo. Sed, si voluntas feratur in opus ex objecto bonum, non hærendo ultimè in ipso, neque in se ipsum, aut alium pravam finem retorquendo, sed ut est bonum inchoatum & in suo gradu constitutum secundum rectam rationem; dicimus, quod sit moraliter bonum, & agens non peccet, quia virtualitèr implicitè intendit Deum, ut huius boni inchoati perfectionem & consummationem. Posset etiam dici Aug. loqui de virtutibus, que ad se referuntur, non ratione sui, sed ratione operantis, qui in eis gloriam quærit. Undè vocat eas inflatas, & superbas.

Obj. 4. Homo ut rationalis tenetur omnes suas actiones referre in finem rationi conformem: ergo homo ut elevatus ad finem supernaturalem tenetur omnes actiones suas referre in finem supernaturalem. Subiungo; atqui ista virtualis relatio ad finem supernaturalem non potest esse implicita, cum opus bonum morale non tendat de se ad summum bonum supernaturale: ergo requiritur virtualis explicita, vi nempe prioris relationis actualis virtualitèr permanentis. R. 1. Hoc argumentum non spectare infideles negatos; quia, licet sint etiam creati & elevati ad finem supernaturalem, cum tamèn ignorent invincibiliter Deum ut auctorem supernaturalem, non adstringuntur præceptis ordinis supernaturalis, & sic deficit argumentum pro majori parte. Quantum ad Christianos R. 2. Juxta 1. conclusionem nostram, eos teneri referre virtualitèr explicitè omnes actiones suas in Deum, ut auctorem supernaturalem in actu charitatis strictè, ad quæ sæpè tenentur, & per quem se & omnia sua referunt & consecrant Deo, ut ultimo fini supernaturali, quæ relatio & totalis consecratio virtualitèr perseverat in omnibus actibus sequentiibus, donec revocetur per peccatum mortale; quia revocatione posita, iterum tenentur ad eandem relationem per alium actum charitatis, non tamèn statim; quia præceptum charitatis, cum sit affirmativum, non obligat ad semper, ut jam toties dixi. Insuper Christianus sæpè tenetur operari propter finem supernaturalem, nempe ubi agitur de actibus fidei, spei, de oratione, penitentia, susceptione Sacramentorum, & de pluribus aliis spectantibus Religionem; & puto, raros esse inter Christianos, qui etiam in suis actibus moralibus non agant ex motivo supernaturali; paucos enim reperies, etsi aliunde peccatores, qui interrogati, cur faciant elemosinam, cur colant Parentes, cur debita solvant & similia, non respondeant, quia sic Christus docuit, quia id deceat Christianum, quia sic docemur in Religione, aut quid simile sapiens motivum supernaturale. Sed quidquid sit, si rigorosè urgeatur comparatio R. 3. N. Consequ. Disparitas est 1. Quod ratio sit homini intrinsicè & inseparabilis Regula omnia suarum actionum; elevatio autem ad finem supernaturalem sit quid extrinsecum & accidentale, non destruens, sed conservans naturam. 2. Quia, dum homo non refert actiones suas ad Deum ut finem supernaturalem, refert tamèn, ut suppono ad Deum ut finem naturalem, sique hæc habet semper Deum pro fine & illi adhuc deservit, & idè non peccat. At si neque ad finem rationi conformem actiones suas referat, tunc nullatenus habet Deum pro fine, & in nullo illi deservit, idèque peccat. Pone casum. Vir Christianus, sed peccator, occurrentis pauperis miseria commotus, & præcisè cogitans, eum sibi in eadem natura esse fratrem, secumque eundem habere creatorem & Patrem, ex hoc sincero, sed solo amore communis Patris & Creatoris, huic misero erogat stipem: Peccatne? dic velim: & tamèn non agit ex motivo supernaturali. Quam verius ergo compendio dixit Doctor noster (2. q. 10. a. 4. ad 1. Fides dirigit intentionem respectu finis ultimi supernaturalis; sed lumen etiam naturalis rationis potest dirigere intentionem respectu alicujus boni connaturalis.

Alia

Alia argumenta, que opponunt Adversarii a ratione, levia sunt; & nihil aliud probant, quam quod, cum Deus sit primum principium, ita debeat esse finis ultimus. Id autem ultro concedimus; cum hoc discrimine, quod Adversarii velint relationem virtutem explicitam in Deum ut ultimum finem toties quoties: nos vero dicimus, sufficere virtutem explicitam, quando urget præceptum charitatis, & virtutem implicitam toties quoties.

## OPUSCULUM, OLIM SUB FINEM OPERIS ADJECTUM,

D. HAGENS, refutantis P. BILLUART systema de Relatione Operum in Deum. Sequitur & Questio Theologica, istius adversus illum: insuper & Questio altera de eadem relatione operum, adversus aliud opusculum R. P. MAUGIS: utraque ab eodem P. BILLUART elucubrata.

### SYSTEMA NOVUM R. PATRIS BILLUART DE RELATIONE OPERUM IN DEUM.

Refutatum a Reverendo admodum, ac Eruditissimo D. HAGENS, in alma Universitate Lovaniensi Sacre Theologie Licenciato, Professore Regio, &c. &c.

#### MONITUM AD LECTOREM.

Hujus Systematis Refutatio, licet a Perillustri, ac Eruditissimo Censore Leodiensi a. 3. annis approbata, in lucem non prodierit, nisi Systema R. P. BILLUART, quod in operibus suis Leodii impressis non habetur, alibi contra bonam fidem typis mandatum fuisset, & quidem a quibusdam Professoribus, seu potius Lectoribus Leodiensibus approbatum, qui monstra sibi effingunt, priusquam intelligant: qua autem auctoritate hi in Approbatores librorum sese erigant, non scimus.

1. Questionem Theologicam de Relatione operum in Deum a R. P. BILLUART conscriptam pedetentim refutare intendimus. Ac in primis, ut utamur verbis ipsius P. Secundæ Secundæ pag. 140. Suscipientes Ecclesie definitiones, agnoscimus non omnia opera Infidelium esse peccata, nec omnes virtutes esse vitia; non tamen contendimus, prout ibidem prosequitur ignorantia nostre sententiæ laborans P. B. eos peccare in omni suo opere: ad summum enim peccant in non opere; imò ne quidem semper peccant peccato omissionis, seu defectu relationis in Deum propter se dilectum. Infideles enim possunt actus aliquos bonos non tantum exercere, sed & eos ad Deum ex amore aliquo imperfecto, & inchoato dirigere; quia in ipsis nunquam sunt pie affectiones erga primam veritatem, illuminationes, ut habet Aug. præambula Fidei. Valens itaque hominem, quotiescumque deliberatè agit, teneri sub peccato veniali actum referre in Deum ex amore, non quidem charitatis, strictè scilicet, sed benevolentie, relatione virtuali explicita; sic tamen ut defectus hujus relationis ipsam quidem operantem inficiat, at non ipsum opus.

2. Suum systema oppositum ita proponit (Ib.) Ut tam operans, quam opus examinetur a peccato... sufficit, ubi non urget præceptum dilectionis Dei super omnia, quod opus sit ex objecto honestum, & nullo pravo fine, nullatè alia prava circumstantia vitiatum: sic ut operans diligens honestatem particularem hujus operis, consentiat diligere virtutem implicitè primigeniam, & fontalem honestatem, quod est ipse Deus, cuius hæc particularis honestas est participatio, consequenter intendat implicitè ipsum Deum. Hanc suam relationem in Deum vocat implicitam, & ex parte operantis, hoc sensu, quod operans ex libera electione facit opus, quod ex se tendit in Deum. At hoc citat Sylvium, & Laurentium Berti; sed reflectat P. B. ad id, quod addit præfatus Berti: atque hoc arbitror sufficere ad opus bonum morale, hoc autem nullatenus negamus. Porro negamus, nec probat P. B. quod implicita ejus Dei dilectio, & operis in Deum relatio sit veri nominis, & moralis; id est, que non tantum hominis, sed humana sit, ut infra demonstrabimus.

Jam referamus, & refellamus ejus probationes.

3. 1. Probare conatur (Ibid.) ex eo, quod præceptum dilectionis Dei, cum sit affirmativum, non obligat pro semper: ergo, inquit, ubi non urget hoc præceptum, non tenetur homo referre opus suum in Deum aliter, quam sit dictum in sua Conclusionè. R. 1. Distinguo Antecedens: Præceptum dilectionis Dei, cum sit affirmativum, non obligat pro semper, ad actus continuos, Concedo; non obligat pro semper virtute, Nego. Sic ergo præceptum istud, utpotè affirmativum, non obligat pro semper, quasi actualis relatio, seu actus relationis debeat esse continuus; sed obligat ad hanc actualem relationem tam sæpè, & tam vigorosè ponendam, ut vi illius omnia nostra procedant. Deinde non semper deliberatè agimus; adeoque non semper urget hoc præceptum. R. 2. Retorqueo argumentum: Præceptum affirmativum non obligat pro semper; ergo, ubi non urget hoc præceptum, non tenetur homo referre opus suum in Deum, modo relato in Conclusionè Patris B. seu implicitè; atqui tamèn P. B. agnoscit hominem, toties quoties deliberatè agit, teneri referre suum actum in Deum relatione virtuali implicita, quatenus tenetur semper agere, quod de se bonum est. (Ibid. pag. 142.)

4. Ut probet primum Mandatum, & alia relationis præcepta non obligare Pro semper, asserit P. B. S. Th. in 2. Dissert. 40. a. 5. ad 6. ubi dicit: Si queratur, quando oporteat actum referre in finem ultimum, hoc nihil aliud est, quam querere quando oporteat habitum charitatis exire in actum. R. hoc ita intelligit P. B. quando oporteat ex præcepto referendi actum referre, &c. An igitur aut a parte rei, aut juxta S. Th. dum, & quoties præcipitur relatio, præcipitur ut fiat ex habitu charitatis? Quid tunc erit de Infidelibus? quid de quovis extrà statum gratiæ? Sed accipe, quod certè non ita sit juxta S. Th. Hanc ipsam opinionem rejicit S. Th. in terminis, & de eo, quod hic statuitur, dicit: Quodd falsum est. In 5. Dist. 36. a. 6. o. & ib. ad 5. sic habet: Dicendum, quod modus charitatis plus importat, quam relationem operis in finem debitum; importat enim quod actus ex habitu charitatis procedat, quo multi carentes, actus suos in Deum referunt. Subintelligo, Sicut præcipitur 1. Cor. 10. quod enim hoc ita fieri possit sine habitu charitatis est illud ipsum, quod hic ostendere vult S. Thom.

5. Quod amplius est, eodem art. ad 2. docet S. Th. quod neque primo mandato præcipitur actus dilectionis, qui fiat ex habitu charitatis; aut si in eo hoc præcipitur, illud magis sit ad ostendendum, quò tendere debeamus, quam ad obligandum: seu ut hic dicit in corpore articuli, hoc in eo præcipitur: Quantum ad intentionem Legislatoris, non quantum ad obligationem Legis. Ex his S. Th. omnino perspicuum est, quod hic textus a Patre B. objectus ejus sensu intelligi non possit. Idem etiam ex hoc ipso loco perspicuum est, uti & quod hic sit ejus sensus: Si queratur, quando ad me-